

non incarnari.—Decentia autem illa demonstranda assumitur ex propriis Dei per respectum ad creaturam absolute inspectam.

Conclusio.—CONVENIENS, IMO CONVENIENTISSIMUM FUIT DEUM INCARNARI.

Prob. 1) ex attributis Dei.—Maxime conveniens videtur ut per visibilia invisibilia Dei patefiant, secundum sententiam Apostoli (Rom. I, 20). Atqui per mysterium Incarnationis præcipua Dei attributa, scil. sapientia, caritas et misericordia, justitia, potentiaque mirifice patescunt¹: ergo.—*a) Sapientia* quidem, in quantum Deus (ut ait Damascenus, l. III Orth. Fid. c. 1) “invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem,” concilians scil. vindicationem justitiæ cum benignitate clementiæ, juxta illud (Ps. LXXXIV, 14): *Justitia et pax osculate sunt.*—*b) Caritas et misericordia*, “quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem” (Damasc. *ibid.*). Unde dicitur (Eph. II, 4-5): *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*—*c) Justitia* quoque, “quoniam, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem” (Damasc. *ibid.*), sed per liberam Dei-hominis substitutionem quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ (Rom. III, 25).—*d) Demum potentia*; nam “qui in forma Dei erat inclinans cælos descendit... novorum omnium maxime novum, imo quod unum sub sole novum est infinitamque Dei potentiam declarat. Quid enim majus quam Deum hominem fieri?” (Damasc. *ibid.*). Idcirco in Scripturis (Habacuc, III, 2) Incarnatio vocatur antonomastice opus Dei.

Prob. 2) ex natura divina.—Unicuique rei conveniens est illud quod ei competit secundum rationem propriæ naturæ, v. g. ratiocinari in homine. Atqui Incarnatio maxime congruit indoli naturæ divinæ: ergo. *Min. prob.* Cum natura Dei sit ipsa bonitas essentialiter et transcendentaliter sumpta, quidquid pertinet ad rationem boni simpliciter con-

*Incarnatio
non manifeste
a la foi la bonte
la justice, la
regule et la
puissance de Dieu*

*St. Expositio
p. 70-80*

Summa communicatio ad extra est incarnatio

1—Cf. Gonet, *De Incarn.* Disp. III, a. 1.